



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 6. Regimen Politicum Genuensium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

§. 6. Regimen Politicum Genuensum.

Dux præcipuus est magistratus, qui publicas ædes, palatium vocant, inhabitat, eique Prætoriani adhibentur quinquaginta Germani, tantumque biennio præest: sequuntur *Octouiri*, vulgò dicti *la Signoria*, qui cum Duce summum consilium faciunt. Imperator vnâ cum *Tribunis militaribus* 40: annuâ potestate legionibus præsumt, & optimatum suffragiis creantur, sicut & præcedentes *Octouiri*. Seligitur insuper *Prætor* cum duobus *Legatis*, quorum vnus vt vocant *Fiscalia* tractat, alter *Criminalia*: adiiciuntur *Quinque-viri*, priuatorum iudiciorum in biennium, quam iurisdictionem *Rotam* vocant. Seliguntur etiam *Septemviri* ad lites extra ordinem definiendas. Insuper accedit *Syndicatus Quinque virorum*, (qui viri censores sunt) hi aduersus *Octouiros*, & *Ducem*, exacto magistratu statuunt, edicto proposito, si quis ciuium de eorum iniuriâ queratur. Si conqueritur nemo, edunt edictum de magistratu sanctè obito. Hic quoque aliud collegium *San-Georgianum* dictum anno 1407. institutum, cui Resp. suam incolumitatem debet; eius officium est videre ne priuati cum Rep. contrahentes vllum damnum patiantur. Hæc autem Societas ornata est magnis priuilegiis à Pontificibus, & Imperatoribus, & quicumque in eâ magistratum capessunt, priuilegia eius Societatis se seruaturos iurare coguntur. Præest autem illa, & ius dicit *Locatariis*, vt vocant, siue qui redituum participes sunt. Huic autem *Octouiri* præsumt qui *Protectores* vulgò nominantur, quorum munus est annuum, & sexto quoque mense eliguntur quatuor. Sunt etiam alij *Octouiri* dicti *Quadragenta quatuor*, quia anno 1544. eligi cœperunt, quòd superiores *Octouiri* negotiis expediendis pares non essent. Ex iis duo quotannis mutantur, & prouidere debent, vt res Sodalitatis *San-Georgianæ* promoueanur, atque *Corficam Insulam* cum aliquot ciuitatibus administrant. Dereliquis Magistratibus vide libellum de Principibus *Italiae*. Vbi nominari videbis 28. Præfecturas *Genuenses*, Vicariatus quinque, Capitanatus tres, Gubernaturam, vt vocant, vnâ, duas Præturas, Commissariatus duos.